



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

6. Præmium probitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

VI. Adverte laudem insignem Dęcalionis ac Pyrrhę à pietate ductam ; de quibus Poëta :

Non illo melior quisquam nec amantior æqui  
Vir fuit, aut illa reverentior ulla Deorum :

Deinde vocat

Innocuos ambos , cultores Numinis ambos.

Ecce præmium probitatis, & cultus divini, de quo Seneca bene & sapienter epist. 95. Primus est deorum cultus, deos credere : deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majeſtas est. Scire , illos esse qui præsident mundo , qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt &c.

## S Y M B O L U M X I I .

### Phaethon incendiarius.

2. Metam.

Ethicē.

1. Indulgentia vitiosa parentum. 2. Juvenilis ambitio & regimen.
3. Indomitæ cupiditates. 4. Vitia linguæ. 5. Juveniles conatus.

**M**Agnam hic Juvenis Poëtis occasionem præbuit ingeniosè men-  
tiendi; si tamen , quod sæpius monemus, omnia mendacia sunt,  
quæ finixerunt illi ; multa namque hōrum commenta originem ab  
historia, etiam sacra, trahunt. Docet enim Tertull. lib. Apol. c. 47.  
plerisque philosophorum sententias & poëtarum fabulas ex divinis lit-  
teris primitus acceptas , novisque cogitationum assutamentis corruptas  
esse. Vnde hæc , oro vos (inquit) philosophis & poëtis tam consimi-  
lia? non nisi de nostris sacramentis. Quis poëtarum , quis Sophistarum  
est, qui non omnino de fonte prophetarum potaverit ? inde igitur phi-  
losophi sitim ingenij sui rigaverunt. Ita planè Græci , cūm legerent hi-  
storiā lib. 4. Reg. cap. 2. de Helia curru igneo , & equis igneis in cœ-  
lum transfecto , ex nominis Heliæ , græcè ἡλίῳ , vicinitate & occasione  
condiderunt fabulam solis , Phaethontis , & Heliadum (Phaethontis so-  
rorum.) Quod ego ne somniare videar , ad testimonium B. Chrysostomum , & qui ex illo transcripsit , Bedam in lib. Reg. q. 28. cito . Ut au-  
tem,